1501

DE

MEDICINA EFFICACI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIII. M. JULII A. MDCCCXLV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

REINOLDUS LOEWENHARDT

SOLDINENSIS.

OPPONENTIBUS:

A. SCHROEDER, med. et chir. Dr., med. pract.
E. WITTZACK, med. et chir. Dd.
A. de GRAEFE, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

„Tell me, ye learned, shall we for ever be adding so much to the bulk — so little to the stock?

Shall we for ever make new books, as apothekaries make new mixtures by pouring only out of one vessel into another?

Are we for ever to be twisting and untwisting the same rope? for ever in the same track, for ever at the same pace?

Shall we be destined to the days of eternity, on holidays as well as working-days, to be showing the relics of learning, as monks do the relics of their saints, — without working one, one single miracle with them?"

Tristram Shandy IV, 10.

Compilationes odi. Non igitur splendet opusculum meum locis multis undique collatis, verum in eo plurimum operae collocavi, uti pro virili mei ipsius ingenii fructus ederem. Tamen facere non potui, quin interdum ab aliis excogitata, quae mihi memoratu digna visa, attamen jam fere oblitterata sint, iterum quasi ex cineribus revocarem. Progredientibus enim strenue in via litterarum facile e memoria expelluntur merita majorum.

His autem, quae non tam stricte ad rem pertineant, missis, primum ex more solito mihi aliquid afferendum

est excusationis causa, quod quidem tiro adhuc in arte nostra, thema majoris mihi proposuerim momenti, quam cui tironis vires pares essent. Unde quidem experientia, quae necessaria est; unde practica mentis expolitio, qua deficiente tale opus justo modo absolvi non potest? Hic quidem pro responso id tantum proferre volo, adolescenti per tres fere annos clinica frequentanti, et quidem amore ardoreque ordinis sui inflammato, satis occasionis datum esse, et aegrotis inspiciendis et meditationibus de illis instituendis, excolendi ingenii. Tres anni clinicorum visu atque viris clarissimis ducibus exacti satis valent atque compensant annos decem medici in oppidulo parvo collocati, praesertim circa experientiam in medicina efficaci. Neque quot aegrotos viderimus, quidquam refert, sed quo modo.

Qui igitur initio dissertatiunculae, vel modestia falsa vel mala consuetudine adducti, querelas fundunt sive de thematis propositi difficultate, sive quod omnino thema reperire non potuerint viribus suis aptum, atque tum sicuti ad asylum ad compilationem recurrunt, eorum ingenium ardoremque comprehendere mihi res ardua videtur. Campus artis nostrae tam latus, arena ingenii excolendi tanta est, ut mirabilis sit aut indiligentiae aut torporis signum, si per spatium legitimum in clinicis versatis nil aliud nobis inde resultat, quam bona fide jurare in verba magistrorum atque auctorum.

Quo loco non possum non ex intimo corde felicem me praedicare, quod duce ingeniosissimo prima in arte nostra stipendia feci, Wutzero scilicet, in alma Rhenana ingenii sui et admiranda liberalitate et rara eruditione monium sibi animos vindicante. Satis quum con-

stet, laudibus a me profectis ipsius gloriam augeri non posse, monumentum credat sibi in pectore meo grato esse conditum aere perennius. Fuit enim ille vir, qui primus animo meo artis suae infixit ardorem; ex quo tempore pro viribus in eo studium primarium collocavi, uti aliquid in chirurgia discendo me tali exemplari dignum redderem. Quod si ullo quantulocunque modo assecutus sim, eo majores ei gratias habebo.

„Jam jam efficaci do manus scientiae.“
Horat. in Canid. venefic.

M. Aurelius Severinus parti artis nostrae ei, quae morbos praecipue externos curandos tractat, nomen indidit multo melius vim ipsius, praecepta, finem, agendi modum exprimens, quam vox ista, qua eam quasi inferiorem aevi praeteriti medici nominare studuerunt. Atque etiamnunc non pauci exstant, iique etiam praeclari viri, qui medicinam efficacem, quod attinet finem collata medicina sensu strictiore inferiorem esse credant; mehercle ratione adhibita pauca! Tum vero jam nomen illud demonstrat, id quod non omnibus, dum vocem chirurgiae pronuntiant, in mentem venit, medicam artem esse unam circa finem ipsius, quem solum in miserorum molestiis praecavendis, leniendis demensisve positum esse, quamquam est jam fere decantatum, tamen nunquam satis repeti posse existimo.

Discrimen agendi tantum modus, quo hunc ad finem pervenire studemus, facit. Medicus merus remediis potissimum interne datis curare studet, medicus efficax remediis cum interne, tum maxime externe adhibitis curat. Verbum vero »Chirurgus« tantummodo exprimit, medicum

efficacem sola modo manu vel remediis manu applicatis agere. Quid vero ineptius, quid absurdius? Vae homunculo, qui tali tantum modo aegros curaturus medici efficacis nomen arrogare sibi velit. Sit, maneat Chirurgus! Eadem fere ratione Podurgum istum nominare possumus, quod forte interdum pede, e. g. in ossibus luxatis reponendis, utitur. —

Medici efficacis est, omni modo studere, ut sit medicus atque ut efficiat aliquid ad conditionem aegroti meliorem reddendam. Quibus adminiculis hoc fiat, idem est atque nullius momenti; num manu, an pede, an remedio interne vel externe dato, nil interest.

Quodsi vero remediis interne datis aegrotus sanitatem recuperat, plerumque nos fugit dilucida eventus intelligentia; quare tum satis cauti simus necesse est, ne quid nos effecisse opinemur, ubi natura ipsa et morbum et remedia nostra superaverit. Itaque tum prope nunquam de efficacia nostra tam certi erimus, ac si morbum remediorumque effectum manibus quasi capere possumus. Quid quod etiamnunc inter homoeopathiam atque alloeopathiam lis existere potuit (siquidem litem agere canem lunam adlatrantem dicere fas est), utra melius aegrotos curet? Neque desint, qui Udenopathiam (*οὐδὲν πάσχειν*) omnibus aliis anteponant (1).

Aliud igitur est, medicum esse, aliud efficacem. Medicus tum demum, qui cognomine efficacis ornetur, dignus est, quum clare et dilucide viderimus, cum adju-

(1) Jam vero ideo, quod facilius hic noceri, quam juvari possit, necesse est, medicinam internam tantum a medicis bene eruditis exerceri, neque a cohorte chirurgorum, quos primae classis dicimus, omnino supervacanea.

vante scilicet natura, verum quasi ministra, aliquid effecisse. Ut medicus minister est naturae, sic medicus efficax naturam sibi subjicit ministram. Ut medicus igitur tempus exspectare potest saepeque debet, sic medicus efficax semper strenuus efficere aliquid debet. Pariter medicum practicum (πράττειν τι, efficere aliquid) eum nominare possumus.

Quo modo quum medici efficacis officia proposuerim, necesse est investigemus, et ubinam et qua ratione medici efficacis cognomen consequi possimus. Quod relative tantum, uti ajunt, neque certis limitibus ductis fieri posse facile est intellectu. Nam progredientes in litteris atque artibus hodie jam multis in rebus efficaces esse valemus, quibus majores non valebant. Tamen modesto animo, siquidem artis cursum oculis perlustramus, confiteri debemus, artem nostram nunquam fere — circa finem supra memoratum — philosophematis processisse atque sophismatis, verum plerumque experientia, collectis multis ejusdem generis exemplis conclusionibusque inde desumtis. Neque sola in philosophia salus, neque sola in experientia. Conjunctae juvant, nocent sejunctae. Magnam vero laudem in arte nostra esse vindicandam casui, quis est, qui ignoret? Progressa saepissime est ars nostra inventis, forte viro inde fructum carpere valenti oblatis. Secuta tum theorematum ingens copia, quibus fugatis experientia atque experimenta inventum firmavere.

Mittamus igitur quaecunque meram theoriam sapiunt, quam recte cum morte comparare possumus, si quidem per diligentem naturae observationem vitam intelligimus. Mittamus gallimathiam scholasticam, quae sanam mentem aegrotam reddere valet, neque unquam aegrotum sanum.

Soli naturae incumbamus observandae atque tum demum, rebus in animo bene compositis, judicia instituamus. Morborum definitiones non altis, sed aptis verbis includere studeamus, ita ut pro viribus haec naturae aenigmata nobis explicemus, explicatis efficere aliquid valeamus in ipsis curandis.

Quibus autem in morbis jam pro artis nostrae statu medicus efficere aliquid possit, si animum adverteris, innumerabilem fere in libris copiam invenies, ita ut paene mirari incipias, quomodo etiamnunc mortales vere mortales sint. Tamen si attento animo perscrutaris, saepius artis in efficiendo debilitatem a natura auxiliatrice destitutae, saepius morborum vim tam naturae quam artis operam deridentem, accusatas reperies.

Itaque jam per se morbi sese ita distinguunt, ut quidam natura, quidam arte, quidam utraque, altera vero earum praepollente, quidam neutra curentur. Natura sola plurimi, neutra et utraque plures, a medico solo pauci. Sic jam Severinus (Medicina efficax I, 1. 9): »Statui oportet, hominem cum aegrotat, duplici medicationis beneficio sublevari posse, et naturae et artis; quae vel conjunctim vel divisim possunt adesse curando. Divisim quidem natura sanat, ut in criticis; sanat vero ars divisim, ut in amputatione sexti digiti. Sanant autem ambae conjunctim vel aeque vel inaequaliter agentes. Cum vero inaequaliter conferunt, alteri, quae curat principaliter, servit altera: scilicet arti natura in chirurgia curtorum, naturae vero ars, ut in cavo ulcere carne replenti.«

Neque enim, quamquam vim medicatricem naturae ex animo colo atque veneror, esse morbos, qui nullo fere naturae adminiculo et faustum et infaustum exitum

secum ducant, pronuntiare vereor; ita quidem ut nobis explicare non possimus, quo modo naturae vis in hisce sese habeat. Aut enim leviores sunt, quam quibus naturae ope opus sit, aut fortiores natura, itaque ejus, si adsunt, adminicula obtegentes et decursum suum facientes proprium. Ceterum, quid sub vi medicatrice naturae quivis intelligat, discrimen facit.

In medici ut efficacis provinciam tantum hi morbi veniunt, qui arte sola aut arte praepollente prae naturae vi curantur. In medici provinciam redeunt omnes morbi. Gratissimi nobis sine dubio atque maxima ingenio praemia dantes illi sunt, ubi medicus sola arte sua morbum expugnare valet, qui quidem pauci sunt. Hic certe videmus, posse nos aliquid, in ceteris semper lis existere potest, cui major laus sit attribuenda, medico an naturae. Attamen non ultima laus nobis inde quoque existit, ubi morbum adjuvante natura, sed quasi ministra superavimus. Pudorem autem fere artis nostrae imperfectae induentes ab aegroto redimus, ubi, ministri naturae curantes confiteri nobis debemus, aut nostra opera morbum non esse debellatum, aut neque nos neque naturam sufficere ad morbum fugandum. Nam id quidem in dies magis elucet atque elucebit, morbum omnino non existere, de quo vincendo omnis spes sit abjicienda atque quem nunquam aut arte progressa, aut natura artis studium, aut arte naturae vim juvante superatum iri, pro certo affirmare possimus.

Necessarium non credam, hoc loco explicare, artem nostram esse liberam neque unquam pati limites. Itaque mehercle ii rectam viam non ingrediuntur, qui libris distributionem morborum praemittunt, ubi morbos quasi

farcimen dissecant. id quod »systematice fieri« nominant. Nil in arte nostra tam separatum existit, semper uti in viva natura transitus fiunt, nunquam saltus.

Quodsi ergo morbis nunc potissimum iis operam damus, qui in medici efficacis provinciam cadere nobis videantur, jam ab initio sperare non licet, datum iri hic succinctam morborum omnium, qui huc referendi sint, enumerationem, cui neque demi neque addi quid possit. In curandis morbis quasi certamen est atque curriculum inter artem et naturam. Confiteri debemus, multos morbos tempore sibi naturam subjunxisse, ita ut nunc eos illa curare possit, quos antea vel omnino non, vel tantum arte adjuta superare potuit, e. g. syphilidem; e contrario vero ars sibi multos subjunxit, qui antea insanabiles fuere, e. g. eundem morbum Hydrargyro. Itaque plerisque in morbis talem continuationem per gradus demonstrare possumus, quippe quibus primum neutra, tum ars adjuvante natura, dein natura adjuvante arte, denique natura sola medebatur.

Optime semper eos morbos curatos esse, quibus natura sola medeatur, quamquam sententia est ab antiquis tradita, tamen dubitationibus quibusdam justis eam adstringere liceat. Naturae vis coeca est: et maxima, fere incredibilia, suo modo perficit — et ad minimum perficiendum nil valet, immo nocet. Heu quantus hic perscrutandi campus nobis apertus, causas naturae tam diverse sese habentis investigaturis!

In iis semper morbis maxime efficaces sumus, quorum causas bene distinximus naturamque, et quos aptis remediis, quorum agendi modum bene novimus atque prosequi possumus, impugnare licet. Quod quum prae-

cipue in morbis. quos sensibus nostris percipimus, sive solis sive adminiculis adjutis, valeamus. praecipue hic de talibus morbis sermo sit, necesse est. Externos tales morbos nominatos non velim, quum tale verbum non sufficiat rei bene exprimendae.

Aliud igitur investigemus principium. cui subjungantur. Quodsi mundum oculis perlustramus, ante omnia nostram excitare debet admirationem ordo atque harmonia, quibus continetur, ita ut ex comparatione usitatissima, juncturis omnia sint connexa, quarum una mota sive ex conspiratione sumta semper totum quodammodo ex dignitate motae sumtaeve turbatur. Idem in homine microcosmo et circa relationem corporis atque animi et circa animum solum et circa corpus solum. Insitus est animo nostro sensus ille harmoniae, quamvis sit saepe obtectus. Voluptatem sugimus, corpus inspicientes ab antiquo statuario ex artis legibus perfectum summamque harmoniam omnibus ex partibus exprimens. Oblectatione capitur, cui non triplex aes circa pectus, qui harmoniam ubique ex virgine nobis arridentem et quasi adspirantem inspiciat. Rotunditas, regularitas formae, harmonia denique omnis hominis veneratione nos imbuit erga vim ejus creatricem.

Attamen formosissimum quodque et perfectissimum, quum jam sit compositius pluresque aditus praebeat, eo facilius saepe patitur impetus, quibus interdum vel parvo tantum loco harmonia ista generalis quasi invidia diaboli perturbatur. Inde id quod morbum vocamus. Infliguntur sui macrocosmo morbi, sui microcosmo. His mederi medicinae est.

Qui morbi circa formam corporis dysharmonici sunt,

ita ut sensibus (vel solis vel adjutis) comprehendere eos valeamus, pro hodierno artis statu in medici efficacis provinciam referendi sunt: siquidem locales sunt, medicus efficax sine ope naturae curare eos valet; sin aut ex harmonia totius corporis adhuc turbata prodeunt, aut eandem turbant, sine ope naturae non valet. Quo sensu patriae meae rustici medicos »unsers Herrgotts Altflicker« nominant, neque sine justa ratione. Nam quum harmoniam semper restituere studeamus, hôc modo vis creatricis vestigia insistimus. Id quod mehercle ordini nostro non parvam reverentiam attribuere debet. Eadem de causa medicinam efficacem artem vere cosmeticam definire licet, etiamsi cosmesis non causa, sed sequela agendi plerumque sit.

Neque igitur eos assequor, qui ipsi etiam medici finem artis nostrae semper quasi in deceptione mundi decipi volentis positum, atque medicum rem luxuriae esse contendunt. Qui cum sermonibus ejusmodi modestissimi esse velint, fiunt superbi et perfidi. Quid enim nobis tunc daret jus strenue agendi in impugnandis morbis, ita ut quasi vitam necemve manus nostrae saepe afferant? Immo quum vis creatricis vestigia ingredimur, licet nobis et addere et tollere, siquidem ex sententia vis creatricis nobis videamur agere. Attamen hic haeret aqua, hic nobis maxima litis arena.

Mentes hominum sunt diversissimae, judicium fallax, vis ipsa creatrix sententias suas atque consilia non semper tam clare et dilucide exprimit, ut quivis Doctoris titulo ornatus istas vel recte vel omnino intelligere valeat. Itaque alter saepe condemnat, ut falsa opinione orta, quae alter naturae secutus sententiam fecerat. Quam

caute igitur esse debeamus in reprehendendis collegarum factis, nisi jam voce quadam interna moneremur, jam hinc intelligere licebit. Provincia hic incipit persuasionis ac conscientiae, in quibus si fortiter nitimur, neque risus collegarum neque fletus aegrotorum mente solida quatere nos poterunt (1).

Confiteamur oportet, eo ipso ex scrupulo liberalitatem atque libertatem in arte nostra summum reportare triumphum: cui enim alteri vel arti vel scientiae tanta vis attributa? Tamen reticere nobis non possumus, esse hic locum maxime vulnerabilem, quum fraus erga nos ipsos saepius animos invadere possit. At quo minus agendi modus certis legibus praescriptus, eo magis meritum elucet illius, qui eas ex casu sibi struere valet. Cujus rei occasio ante omnia tum nobis data est, quando vere medici efficaces apparemus.

Altera res, quam hoc loco pertractare in animo est, crimen attinet, quod nostris temporibus intulere medicinae efficaci eo, quod saepius operationibus efficere aliquid studeat, quam sit necesse, id quod »die Operirerei der heutigen Chirurgie« nominant. Cui crimini si veri aliquid inesset, recte de tali artis directione ter vae exclamare possemus. Tum enim medicus summum artis suae

(1) Facere non possum, quin historiolam huc pertinentem adjiciam, quam in vetusto quodam libello, cujus me fugit nomen, me legere memini. Mater familias, ab altero medico conclamata, ab altero ferri candentis applicatione servabatur. Tum ille excusationis causa afferebat, etiam sese hoc bene potuisse ac nosse, attamen nimia sese matronae dignae reverentia fuisse perfusum, quam ut remedium tam atrum ad ejus curationem in usum vocare potuisset! Nonne excusatio facetissima?

finem ex conspectu perdidisset, atque miseros mortales sicuti coecus vexaret tyrannus.

Unde vero tale crimen profectum est? Quibus in factis nititur? Videamus atque depellamus.

Delatores aut medici puri sunt, aut veteris aevi chirurgi, aut laïci, obliti quidem, quam difficile, immo impossibile sit, de medicinae functione crimen artem exercentibus inferre. Inde petunt crimen, quod plures operationes exerceantur. Quid hoc? si modo juvant. Tamen iidem, si possunt, demonstrent, plures fieri operationes, quarum successus aut nullus aut minor sit, cum operationis insultu comparatus.

Operationes sane plures instituuntur quam pristinis saeculis. Attamen quid hoc mirationis injicere potest? Quid enim magis elucet, quam novis agendi campis acquisitis, agere atque efficere nobis via nova licere? Concedamus, saepius successum esse dubium, saepius nullum; at quo in genere atque particula artis nostrae totius successum curae certum praesagire possis? Num id crimini nobis fieri queas? Immo hoc eo magis instigare nos debet, ut rectam reperiamus viam. Siquidem comparamus operationes, quae pristinis aevis exercebantur cum iis, quae jam legitimae sunt, mehercle multas videbimus omnino e tabulis eliminatas, quae antea maximo cum applausu excipiebantur. Neque numerum facinorum heroicorum, vitae periculum secum ferentium, hodierni temporis medici efficaces magnopere adauxere, sed earum potius operationum, quae cum nullo vitae periculo conjunctae, summam inde afferebant utilitatem, quod corporis harmoniam restituere conabantur. Tali autem modo medici efficaces vis creatricis vere insistebant vestigia atque

equidem censeo, minima quaque cicatrice, faciem humanam deformante, ope nostra absumpta, nos ipsos plus effecisse, ac si e. g. typhum, quem dicunt, medicamentis nostris expugnasse opinaremur.

Simplex veri sigillum.

Boerhave.

Designare eos morbos in animo est, in quibus medicus efficacem exhibere sese valeat.

Tres praesertim modi attendi debent, quibus harmonia formae destrui possit. Uti enim omnino harmonia non aliter turbatur, quam quum aut nimium, aut parum adsit materiei, aut satis, quod quidem formatione perversa abhorreat a principio harmoniae: ita et hic cum tribus diversis nobis res est morborum generibus.

Magnus utique latusque campus hac ex divisione nobis exstat enumerandorum morborum, attamen quum animus potius ferat generalia exponere, jam videamus, cujusmodi potissimum morbi singulas compleant classes. Duo genera hic nobis valde antè oculos obversantur. Scilicet discrimen instituendum est ex eo, quod harmonia localis nisu formativo vitioso est turbata, cujus effectum sub verbo morborum localium primariorum comprehendere liceat; vel quod harmoniae interpellatio morborum aliorum vestigiis, quorum arena corpus fuerat, exstitit (morbi locales secundarii, acquisiti), qui morbi transitum faciunt ad eos, quibuscum harmoniae totius turbatio est conjuncta.

Morbi locales primarii, congeniti, uti decursum for-

mationis perlustrantibus elucet. praecipue fiunt, quando nisus formativus aut in efficacia sua, saepe fortasse minimis quibusque causis cohibetur (quas eruere mehercle labor praemio maximo dignus esset): ita ut vel hic vel illic vel ubique subsistat corpus in minore gradu circa harmoniam totius vel singularum partium (Hemmungsbildung Meckelii). ubi plerumque parum locis neglectis adest materiei: aut nisus formativus jam inde ab initio perversam accepit directionem, ita ut, quamvis satis adsit materiei, ea ipsa perverse collocata vel elaborata harmonia turbata sit. Ubi nimium exstat, ibi fere semper duo adfuere cytoblastemata, quorum alterum alterius cohibitione auctum est, cui sese subjunxit. Multum hic adhuc restat, restabitque post centum saecula occasio novi aliquid reperiendi, at res est quemque laborem vere remunerans multaque explicanda sunt. Quid enim est nisus formativus, vox quamquam est ubique recepta? Num ex legibus certis agit itemque peccat, quum saepe quasi jocosus adolescens prae superbia levitateque redundare videatur? Quales sunt leges? Num etiam post partum peractum perdurat? Num idem vel aequalis est vi regeneratrici, medicatrici naturae?

Sed ne nimis shandyzare videar, id quidem pro certo jam recipi potest, morbos hosce primarios nulla comitari totius corporis harmonia turbata, sed vere esse locales.

Non idem de morbis secundariis localibus, acquisitis referre possumus. Satis caute hic ingredi debemus; qui enim morbus acquisitus in altero localis, idem in altero saepe totius harmoniam turbavit, vel ex adhuc turbata prodiit. Morbus igitur acquisitus tum solum vere localis

est, quando aut ex harmonia totius turbata, procella cessante atque finita, prodiit restititque, aut harmoniam totius non turbavit, causis tum plerumque externis originem debens.

Nimium harmoniam turbat formae, quum partes quaedam organicae aut justo plures adsunt, aut nimia gaudent evolutione atque magnitudine, aut alienae formationes vel intrinsecus vel extrinsecus (Allentheses) profectae exstiterunt. Allentheses in tertiam saepe cadunt classem, quum facile sejunctionem continui secum ducant. Pertinent huc praeter alia hypertrophiae, polypi, tumores, foetus humanus; aggregatio et retentio fluidorum, concretiones, partes corpori alienae factae (cataracta) et alienae.

Ubi parum adest materiei, sive partes organicae deesse possunt vel vitio congenito, vel morbi antecedentis sequela, sive partes quaedam evolutionem acceperunt justa minorem. Pertinent huc praeter alia defectus membrorum, ulcera. Cui classi fortasse homoeopathia adnumeranda, quum in exercentibus plerumque parum adsit. (*Ὁμοιοπάθεια ὁμοία πάθει* sc. *ἐστιν*)

Perversi, quod harmoniam interscindit, quatuor classes distinguantur.

1. Sejunctio abnormis [vulnera, fracturae, articuli abnormes, fissurae congenitae, rupturae, fistulae (1)] cum subjecta classe dislocationum (luxationes, herniae, prolapsus, distorsiones).

2. Conjunctio praematuralis (anchylosis, atresiae, aliae.).

3. Expansio abnormis (aneurysmata, varices, tele-

(1) Bonorden de fistularum et ulcerum discrimine memoratu digna prodidit.

angiectasiae). In quibus sejunctionem saepe adesse, Scarpa monuit, circa aneurysmata. Num in varicibus quoque et teleangiectasiis simile quid supponere liceat?

4. Contractio abnormis (tendinum qui huc pertinent morbi cicatrices, alia).

Attentus lector jam observaverit, nullam hoc in systemate mentionem esse factam ejus morbi, quem quasi cacumen efficaciae medicae arbitrari consuevimus, scilicet inflammationis. Quem quo collocem, diu dubitavi. Cuivis ipsam triadis nostrae inserens ordini, aliquid causae proferre potuissem neque credo, esse inflammationem morbum unum, sicuti uno illum comprehendimus verbo, sed esse nomen, quo plures complectemur status morbosos. Quorum quidem principium in systemate nervoso est requirendum. Unde enim sanguinis nimius affluxus, unde dolor, unde alienata inter imbibitionem excretionemque ratio, nisi e nervis pendeat? Plerumque vero irritatio vel extrinsecus vel a sanguine intrinsecus profecta, adjuncta interdum nervorum irritabilitate adaucta, causa est morbi. Inflammatio ergo morbus est systematis nervosi atque processus in systemate sanguifero hujus tantum plerumque sunt symptomata. Definitio vero illa inflammationis, quae ex antiquissimis temporibus usque ad hanc aetatem majorem asseclarum secum duxit multitudinem, inflammationem esse vel pendere ex vi vitali (!) aucta, tametsi aliquid speciosi includit, nil valet. Si quidem vis vitalis morbo resistere non potest, jam inde debiliorem justo sese exhibet: itaque potius diminuta est, quam aucta.

Idem in congestionibus sic dictis principium agens. E. g. quae nisus formativus nobis inhaerens ex legibus

suis formaturus est, non sine aliqua sanguinis copia, uti materie fabricatoria valet. Tamen sanguis non ex voluntate sua cursum hic illic sumit, sed adesse debet stimulus et adest in nervis quidem. Restat explicare, cur suo tantum tempore certo exstet talis stimulus: qua in systematis nervosi parte jaceat? Nonne fortasse n. sympathico praeter alias functiones talem regulationem injungere possimus?

Differunt pro gradu inflammatio et congestio. In hac unicus finis est, quam plurimum sanguinis cum materie in contactum mitti in vasis capillaribus, talique modo, quae jam adest sc. potentia conformari, sine turbatione harmoniae totius: sufficiunt venulae sanguinem referre. In inflammatione vero venae non sufficiunt, quum nimium sanguinis includere deberent; itaque pars exsudat vel suppuratione aliove modo removetur, saepeque id ipsum terminus est, sanguinem a quibusdam liberare; semper autem in inflammatione harmonia est turbata.

Tamen ob finem practicum et quum hyperaemia symptoma inflammationis sit maxime manifestum, primae eam inserere classi lubet.

„The operative part of surgery is far from being the whole of it."
P. Pott on fist. lachrym.

Transeamus jam relictis reliquis ad ea, quae ad partem aetiologicam spectantia, naturam et indolem morborum forma depravata harmoniam turbantium enucleare valeant. Difficillima sane, sed ea gravissima pars artis

nostrae disciplina est causarum investigandarum: eo quidem difficiliorem arbitror istam, quod spatium admodum latum in ipsa datum est phantasiae ac theoriis. Quo plus operae dandum est, ut simplicem naturae viam secuti causas explicemus. Nam circa efficaciam artis nostrae id nobis commodi inde resultat, ut causa bene dignota tollere — sublata morbum ipsum prohibere vel expugnare valeamus. Et quidem in morbis forma turbata harmoniam depravantibus saepissime hac methodo uti possumus, quum magna pars a causis, quas ingenio et sensibus bene capere possumus, proficiscatur,

Quodsi morborum indolem inspicimus, uti multi manifestis causis extrinsecus allatis, multi causis ab ipsis corporis nóstri systematibus profectis atque intrinsecus oriri videantur, nil quidem nobis magis consentaneum apparet, quam causas primarias morborum in externas atque internas distribuere, id quod saepius quoque factum videmus. Tamen propius rem contemplantibus nobis tale quid non ab omni parte arridebit. Nam quid hoc sibi vult, causae internae? Sicut ad vitam nostram evocandam, sustinendam, itidem quoque ad morbum evocandum, sustinendum semper externis opus est irritamentis primariis. Quae quidem varia ratione corporis vim et conditionem mutare valent et quum non semper manifestae, vel oculum minus attentum vel attentissimum quemque fugere possint, tamen eam ob rem non minus exstant. Certum quidem est neque quemquam latebit, saepius nostris temporibus examine diligenter instituto causas externas morbi esse repertas, ubi atavi non reperierunt: neque dubitandum est, posterorum saeculorum diligentia multas explicatum iri morborum causas, quas jam

internas arbitramur, quum ipsas omnino nos latere non libenter fateamur, et cujusque morbi aetiologiam ex more a majoribus recepto praemittere in libris necesse videatur. Praesertim vero in dyscrasiarum et cachexiarum cohorte, quae etiamnunc formidabiles exstant, causas eruere necessarium est (Lugol), quia certe non remediis sic dictis specificis, sed causis primariis tandem sublatis, ipsae tollentur.

Si causam morbi primariam ab omni parte eruere volumus, tria semper animo nostro debent obversari: affectum, afficiens et modus afficiendi, quae quidem trias mutua ratione conjungitur. Ponamus, eundem morbum esse efficiendum, quam vario modo hic terminus potest contingi! Summa subjecti praedispositione levissimum irritamentum levissime irritans sufficiet; minima, irritamentum vel modus vel utrumque augeatur necesse est. Eandem igitur varietatem, quam in natura (i. e. natis). ex iisdem elementis saepe alia aggregatione alia effici, et hic deprehendimus.

Lis existere potest, quid maxime hujus triadis nos lateat; attamen quum quodvis alteri arctissime conjunctum sit, unius dilucida explanatio certe alterius penitiorem cognitionem secum feret; quare ab eo, quod facillime tangere possumus, disquisitio est instituenda — scilicet a praedispositione, quae utique nobis causam quaerentibus filum Ariadnes in hoc labyrintho porriget. (1)

---

(1) Hujus rei nuperrime Dr. Hargrave (Dublin medic. Gress. 268) conatum fecit ingeniosum.

„Più ancora dee esser ingenioso."

G. de Vico Prattica Cirurgia.

Distinctione morborum e fine nostro instituta, jam nobis cum medico, qualis et quo modo efficax esse debeat ac possit, res est.

Si jam, uti fere fit in libris hanc rem pertractantibus, medici efficacis imaginem paucis describere in animo est, ne quis hic Celsiana illa, multis adumbrata aliis, exspectet. Nam etiamsi Celsum ut primum medicinae vere efficacis conditorem veneror, tamen ab ejus definitione Chirurgi sui tantum abesse arbitror, ut necessarium atque praecipuum complecteretur, ut optime medicum efficacem cogitare mihi possim, qui nulla earum facultatum sit ornatus, quas Celsus necessarias perhibet. Quid enim adolescentia nos juvat in efficiendo aliquid? Nonne senes enumerare possumus, qui ad ultimum vitae spiritum vere efficaces fuere? Fortasse juvare illam dicent in iis casibus, ubi vigorem atque vim adhibere necesse est. Taceam de eo, num omnino vi opus sit in medicina efficaci, num unquam vis tanta a medico in corpore hominis sanando adhiberi debeat, ut praecipue necessarius sit vigor juvenilis. (1) Ubi vero vis nostra non sufficit ad finem consequendum, ea de causa nomine medici efficacis nondum indigni sumus, quia partem hanc artis violentam famulis tradere possumus robustis, veris Chirurgis. Quo

(1) „Force was the object of our forefathers and whatever purposes were aimed at and executed by their instruments, were executed principally by violence. Many or most of them indeed are much calculated to pull a man's joints asunder, than to fit them to rights."

Pott on dislocations.

conjuncto studio si aeger restituitur, dirigentes medici efficaces sunt, non famuli robusti, qui tum tantum partes eas, quas aliis in occasionibus instrumenta, accipiunt. Jam inde concludere licet, esse ingenium, quod medicum reddat efficacem, neque vim neque adolescentiam neque manum strenuam neque aciem oculorum. Sane coeci et chorea Sancti Viti affecti nil valent ad medicinam efficacem, neque additamenta illa contemnenda sunt, neque vero hoc, aut illud summum est. Fortasse illud, ut dextra non minus ac sinistra simus prompti? Illum esse casum negaverim, ubi sinistra manus dextra, si necessarium sit, suppleri non possit in efficiendo aliquid. Denique num de immisericordia Chirurgi Celsiani etiamnunc verba facere necesse est? Immo vero jam eo maxime misericordes nos ostendimus ad sociorum mala, quod superato naturae nostrae renisu clandestino, audaci manu salutem allaturi cultrum corpori humano infigimus.

Ingenium medicus efficax principium summum in agendo colere debet, quo destitutus nil nisi opifex fit. Medicina efficax, nisi ingenii lumine illustrata, tristissima sane et ingratissima omnium foret artium, si quidem tum etiam artibus adnumerari posset. Neque vero negligendum, corporis quoque habilitatem quandam et agilitatem necessariam esse ad perfectam medici efficacis imaginem; tamen quid nos juvaret omnis agilitas, omne robur atque vis, nisi ingenii frenis dirigeretur?

Ingenio, quod primum in medicis efficacibus requirimus, quamquam omnino culturam altiorem facultatum animi intelligo, tamen facere non possum, quin et alio sensu hoc verbum explicem. Ingenium ingenitum nobis est, certe rudimenta, ut ita dicam, adsunt. Corpus jam

perfectionem quandam accepit, quum in mundum e matris gremio emittitur: ingenium tum demum cum aviditate quadam excoli incipit, itaque saepe corpori claudicanti postea celeri cursu praecurrit. Quae primordia ingenita postea formant istam ingenii partem, cujus sales ut signa sanae mentis (Zeichen eines gesunden Menschenverstandes) admiramur. Quam sanam mentem ante omnia medicis efficacibus necessariam arbitror. Multum differt a doctrina scholastica et si magnum mundi docti ambitum oculis perlustramus, multos reperiemus, qui doctorum cognomine minime sunt indigni, sane ingeniosi autem nobis non apparent. Quod hoc sanum igitur attinet ingenium, medicus efficax nascitur, non fit. Verum enimvero sicuti germen formosissimae cujusque plantae, detracto lucis atque terrae auxilio omnipotenti, remanet nil nisi germen neque finem suum consequitur: ita homo summis a natura ornatus auxiliis, quibus fultus quasi solium litterarum sibi poterat vindicare, remanet nullius momenti, nisi cytoblastemata ingenii sui apte elaborare studet.

Quod qua ratione optime fieri debeat, praecipere paedagogorum est: hic artis practicae nostrae partes quodammodo explanare liceat.

Eae primum tractandae sunt partes artis, quae maxime sunt elaboratae atque relativum perfectionis cacumen ascenderunt. Sine dubio hae sunt ars obstetricia atque ophthalmiatrice. Praecipue hic ophthalmiatrice commendanda est, in qua prima stipendia faciamus. Nam primum ibi quasi in microcosmo totius corporis videmus morbos, dein objectiva attento animo hic corripere symptomata debemus, tum vero regulae curandi hic sunt

certae atque rationales. Optime hinc, successu curae ante oculos posito, reverentiam artis induimus.

Neque minus ars obstetricia efficax est, immo efficacissima pars totius artis nostrae. Nam et hic regulae curandi ex statu morboso (in sano natura agit) legibus certis derivantur et omnia bene comprehendere possumus et hominum duorum vitam conservare studemus.

Ita exerciti videamus, quid in curandis morbis internis, i. e. ubi totius harmonia est turbata, valeamus. Semper vero ipsi videamus, nam interdum severis magistrorum faciebus non nimis credendum est, saepiusque Ciceronis haruspices in mentem veniunt, qui peracto augurio sibi arridebant. Negari non potest, auxilium nostrum hic saepe esse necessarium, saepius vero non necessarium, immo noxium. Cur hoc non profiteamur? Viri summo ingenio praediti erit, hoc in campo, difficillimo sane, tandem aliquando omnia in ordinem redigere, certa ab incertis, errores a veris, theorias a factis sejungere — herculeus profecto (multo sensu) labor, cui fere unius non pares sunt vires.

Tandem venias precamur,
Luce candentes humeros amictus,
Augur Apollo!

Circa efficaciam, in qua sola primarium artis nostrae studium positum esse debet, (audiant hodierni diagnostici Gallici!) medicina efficax (sensu strict.) multum alteri antecedit. Tamen luce clarius est, hac in artis nostrae parte, ubi omnia eo spectant, uti semper ipsi efficiamus aliquid, solam theoriam artis nil valere. Multos libros versasse, multorum etsi praestantissimorum virorum cathedris adstitisse, efficaces nos nondum reddit. Ipsi strenue

agere debemus atque hac quidem in re magnum commodum positum esse existimo. Neque tamen rectam esse viam arbitror, si inde ab initio more anglico clinica petamus. etsi hoc nuperrime commendavit medicus ceterum efficacissimus.

Neque vero multorum visus aegrotorum omnia includit, nempe domestica studia deesse non licet. Domi omnia iterum reputemus atque nos ipsos coryphaeis perlectis certiores faciamus. Talibus studiis ante omnia Anglorum scripta apta. Hic meram, e natura desumptam morborum descriptionem invenimus. Si Richteri opus, aeterna illud gloria dignum, exceperis, quid Pottii, Heyi, A. Cooperi, C. Bellii, Lawrencii, al. libris comparare possumus?

Occasio igitur discendi cuivis satis data est, si modo uti ea valet. Praesertim nostris in academiis nunquam de occasionibus discendi in angustiis versari necesse est, verum potius de modis, quibus omnium participes fieri possimus.

Etiamsi bene sciam, meum non fuisse, ut tironis, ista attingere, tamen ob magnum momentum excusationis aliquid habebit, quod studiis praescriptis paene absolutis, jam de studio dirigendo verba feci. Id ipsum, quod res propius sita est, eo magis eam dilucidam reddit. Attamen si erraverim, in errore non perseverabo, quum coecam pertinaciam praesertim in medico vitium arbitrer magnum.

Quum perfectionis causa mores quoque medici efficacis tangendi sint, id tantum adjicere volo, medicum efficacem perturbationes animi evitare oportere. Ante omnia vero Baccho ne unquam nimis indulgeat. Ebrium

non agnosco medicum efficacem, nam vitio tali ipse sese ordinis sui dignitatem omnino oblitum esse ostendit. Cuique igitur medico, etiam temperantiae societatis non participi, sobrietatis votum nuncupandum est, idque, si quidem inter pejus et pessimum eligere licet, etiam magis quam votum Vestalium necessarium duco.

„Wirket, so lange es Tag ist, ehe die Nacht kommt, da Niemand mehr wirken kann."

Ev. Joann. 9. 4.

„Quando mitiora remedia sedulo et dextere, ast incassum adhibita sunt, differenda est non amplius operatio."

A. G. Richter Novi Comment. II, 63.

Exponere nobis nunc proposuimus, quando in morbi decursu rectum sit temporis momentum, quo medicus efficax agendo vim morbi diminuere vel frangere debeat. Qua in re quamvis sit gravissima, tamen certae leges ac fines praescribi non possunt. Primum quum quisque fere casus singulare quoddam habeat; tum quia multis de rebus huc pertinentibus adhuc lis est; deinde quod multum pendet e medici ipsius eruditione atque charactere; denique quod variae res influere hic possunt, quae tum vetent tum jubeant strenue agi, neque sinant penes nos remanere arbitrium.

Id quidem primum constat, ubi mora vitam aegroti dubiam reddit, ibi etiam conditionibus ceteroquin valde iniquis statim esse agendum. E. g. si quem in loco solitario invenimus, cui majoris luminis arteria laesa sit, statim ligabimus vel comprimemus neque antea domum

curremus. ut socios nobis adjungamus. Hoc quidem tonsori cuique ac lippo notum est. ibi decursum certe lethalem ante oculos habere omnes; sanguinis majore semper copia effluente quivis certissime videt, si haemorrhagia non sistatur, aegrotum esse obiturum. Neque vero tum medicum fugit, thrombo vel alio modo etiam sine ligatura interdum, etiamsi rarissime, haemorrhagiam sisti posse; neque post ligaturam res est ab omni parte disceptata atque certa, aegrotum servatum iri. Tamen talibus in casibus terribili quasi actu formidantibus nemo medicum prohibebit, quominus efficiat aliquid, neque medicus ipse dubitabit.

Alii autem existunt casus, ceteroquin exitu simillimi, ubi medicum et ipsius animus et alii valde terrent, ne nimis mature agat. Primum hic in mentem veniunt herniae incarceratae. Certo tegumenta illarum regionem magnum crimen contrahunt, nam si illis detractis semper statum partium subjacentium atque decursum saepe rapidissimum morbi, sicuti sanguinem ex arteria profluentem, ut monitorem agendi ante oculos haberemus, nemo herniotomiam vel nimis mature vel nimis late vel omnino non, ubi debebat, institueret. Tamen ab altera parte concedendum, magno medicis commodo esse partes illas, nam vitia animo fere nimis prompto a medicis commissa obtegunt saepius. Cui rei nuperrime Amussat magnopere confidere videtur.

Quum igitur hisce et aliis in morbis quamvis mature agamus necesse sit, alii tempus quoddam sibi volunt quasi ad saturationem, antequam removeri sinant. Ceterum multum exinde pendet, quo modo morbus omnino corpus invadat, quali progressione symptomata ur-

gentia augeantur, quale sit corpus affectum. Semper nobis magno commodo erit efficere quid, adjutis quidem ab harmonia totius (i. e. praecipue humorum et systematis nervosi) intaminata, in qua aegrotus innixus facilius recuperabit sanitatem. Ubicunque igitur fieri potest, harmonia localis restituenda est, antequam totum peccat.

Plurium si operationum idem particeps fieri debet subjectum, nisi urgentes vetent res, uno eodemque actu eas instituere optimum est. Nam etsi theoriae eorum non assentior, qui corpus inde minus affici credant, quam si diverso tempore instituantur, tamen multum inde commodi resultat, quod animus aegroti quietus est neque semper in timore versatur, dum corporis vires ad vulneris sanationem necessariae sunt. Quod quantam in curam vim exerceat, jam antiquissimis temporibus medici novere.

„Non haec humanis opibus, non arte magistra
Proveniunt: neque te, Aenea, mea dextera servat,
Major agit Deus."

Virgil. Aen.

Arctissime cohaeret cum temporis momento eligendo prognosis; quae non raro multum hic valet. Quamquam enim clarum est, medicum efficacem, quandocunque possit, efficere aliquid debere, tamen non negligendum, hoc ipsum »posse« vocem esse, ut ita dicam, maxime relativam. Impedimenta existunt, si hanc rem systematice tractare volumus, et a medici et ab aegroti et a morbi et a remediorum et a loci et ab alienorum conditione

singulari. A medici conditione vel transeunte vel durante; transeunte, quum medicus non bono, ut dicunt, gaudet die, ita ut ipsius ingenium pro tempore non sit ad efficiendum aptum; durante, quum medicus nunquam gaudet die, quo efficere quid possit. Quod attinet primum, medici ceterum efficacissimi mihi obversatur imago, qui die Veneris nunquam operationem ipse instituit, sibi jam antea de infausto exitu esse persuasum affirmans.

Ab aegroti conditione impedimenta proficiscuntur, quum aliud sit in corpore indefesso, nullis molestiis peragitato, animi motibus non cruciato, efficere aliquid, aliud in debili, erethico, animi corporisque malis jam dudum vexato agere.

Aliud est, in clinico bene instituto, aliud in praxi privata, aliud in campo, aliud in urbe, aliud in vico operationem instituere. Unde non mirandum, quod praecipue in medicina efficaci statisticae enumerationes, diversis institutae praesertim in locis, parum valent. Ante omnia igitur de operationis pretio et periculo, quod secum fert, non ex unius medici experientia judicari potest. Quis e. g. amputationem in defessis militibus raro tantum mortem afferre dicat? Et tamen Kleinius refert, ex centum et novem hominibus, in quibus majorum artuum amputationes instituerit, decem tantum esse mortuos, typho et gangraena nosocomiali tunc insuper regnantibus. Fuere vero aegroti milites victores (1), fuere Russi, qui

(1) Cf. Dupuytren, Verletzungen übers. v. Dr. Kalisch, pag. XI, pag. 291 etc. W. Wagner über die Anzeigen zu den Amput. (Grf. u. Walth. J. I, 2. pag. 262): „Durch Gemüthsaffecte scheinen die Kranken für die Einwirkung der Lazarethmephitis besonders empfänglich zu werden."

consuetudine plus aliis perpeti possunt; fuit nosocomium optimum, quo curabantur; fuit Kleinius, qui curavit!

A morbi conditione singulari obstacula existunt: quamdiu localis tantum turbata est harmonia, prognosis bona; universa turbata, valde dubia. Morbus alioquin sanabilis insanabilis fieri potest, quando non bene tangere possumus.

Multum quoque pendet exitus faustus ex agendi methodo, ex assistentibus, ex adminiculorum conditione, praecipue denique e cura secundaria, certe non minus gravi, quam cura ipsa. Aegre tantum fortunae et casui locum hac in enumeratione tribuam, tamen suum cuique: itaque Mouliné du bonheur en chir. hic cito.

Certo ergo e multarum rerum concursu pendet in arte nostra prognosis; jam vero ideo, ubi possumus, eo cautiores simus necesse est et in statuenda bona et in aegroto omnino conclamando.

„Quis imperatorem collaudarit, qui solum palam cum hoste novit contendere et non simul eorum insidiis occurrere?“ Taliacot. de Ch. c. 2. 6.

Curam quandam saepius antecedere, antequam ad operationem ipsam transeamus, qua corpus aegroti quasi aptum ad illam bene tolerandam reddatur, rem habeo ejusdem fere circa efficaciam momenti, quam curam idoneam post operationem institutam. Ideo multo latius ejus provinciam extendam, quam fere fieri solet. Sane et medico et aegroto saepe supervacaneum videtur, tempus producere diuturnum quasi in propylaeis, sane saepius esse potest supervacaneum — tamen, quum noceat

nunquam, saepissime prosit, cur non, ubicunque possumus, tentamus, saepe a levissimis causis effectum turbari scientes? Ratio nobis hanc viam ingrediendam commendat, usus confirmat. Praescriptorum copiam in libris invenire licet, quibus infausti post operationem casus impugnari possint: attamen primum praecavere semper tutius est, quam postea curare: deinde non semper nobis postea tempus remanet curae penetrantis; tum ob statum aegroti non tam libere agere possumus; denique, id quod praecipuum habeo, antea cum morbo simplici, postea cum complicato nobis res est. In gravioribus enim operationibus multum interest, num operatione instituta merum tantum vulnus an inquinatum aut dyscrasia, quae in aegroti dormiebat penetralibus, aut constitutione nimis valida debilive existat. Quo in loco fonticulorum ante omnia recte positorum laus non omittenda est.

Neque vero ante operationem negligendum est, animum aegroti sibi bene devincire, devinctum bene dirigere. Aliud est, efficacem esse remediis applicatis aptis, aliud verbis bene positis, omnibusque illis parvulis saepe rebus aegroti fiduciam nobis conciliare. Efficaciam vero hac in re medicus acquirit frequenti cultu hominum, tum humanitate ac benevolentia erga aegrotum, quamquam et inhumanitas quaedam, recto illa quidem tempore adhibita, non omnino est contemnenda. Facilis negotii mehercle saepissime non est, aegrotum, ut operationem quamvis necessariam suo in corpore institui libenter sinat, commovere; sed si omnia, quae nobis quoque in casu auxilio esse possunt, in auxilium vocaverimus, raro fugabimur.

Id vero omnino est rejiciendum, aegroto diem vel horam multo antea dici; tunc enim per reliquum inter-

vallum eadem versatur conditione, qua maleficus, cui dies supplicii ante septimanam est declaratus. Qui quantopere dilaceretur, vexetur, concutiatur animi doloribus, si die tantum uno antea cognovit horam necis, Victor Hugo nobis luculenter exposuit. Legas ipsius »le dernier jour d'un condamné« atque tum aegroto horam operationis antea definiat, qui audet. Sat superque factum esse credo, si hora una vel duabus antea cognovit, se mox medici manu esse a malo sŭo liberandum. Ceterum ex aegroti charactere agendum. Sunt, qui certitudinem (ut ita dicam) inevitabilem ambiguitati praeferant, alii falli volunt; neque vero quispiam certam horam scire cupiet, quam praedicere et medicus, quum aliquid intervenire possit, jam ob ipsius commodum recusare debet.

Neque vero jam de eo verba perdam, quam sit inhumane, crudeliter, saeve actum, miseros, uti saepius fit, cruciare longis sermonibus, tum de morbi exitu fatali, tum de modo, quo et quantae incisiones fieri debeant, tum de operationis ambiguitate, lingua vernacula institutis. Quo alterove modo deterriti aegroti omnino operationem etsi necessariam recusant, aut spem extremam perdunt. Nescio, num recte mihi sit perceptum, at non raro a medicis et artem profitentibus et practicis aegrotos magis objecta, quam subjecta respectos videre mihi visus sum; eo quidem sensu, ut de iis atque cum iis agatur (de industria fortioribus hic utor verbis) quasi de rara quadam planta sive terra. De morbo optime disputantes hominem negligunt; neque vero morbos tantum curamus, sed homines morbis laborantes.

Eadem observantia erga aegrotum adducti evitemus, ubi non omnino necesse sit, quaecunque in ejus animo

cogitationes tristes de instante actu excitare vel nutrire possint. Sane vero aegrotum raro inveniemus operatione curandum, in cujus animo cogitationes tales non existant, etiamsi cautissime quaecunque excitare possent, evitassemus — tamen humanitatis est evitare. Praesertim vero huc momentum illud referam, quo aegrotus in cubiculum, ubi operationem instituere velit medicus, adductus, prima impressione afficitur conditionis futurae. Jam id ipsum, quod in conclave ad eum finem destinatum introducitur, deterrens quid habet ac siquidem fieri potest, evitandum est. Jam vero quid miserum ibi exspectat? Aut oculis territis (si prae metu etiam tunc videre potest,) mensa sive cubile offertur altum, quod sellae tantum ope adscendere potest, quasi catastam. linteis saepe nigre ceratis obductum, cujus ad latera arena sparsa est, ne sanguis solum contaminet, aut variae formationis splendentes cultri, forcipes, serrae, ferra candentia: aut copia famulorum et tironum quasi ad spectaculum in amphitheatro sedentium; aut denique medicus ipse efficax, noto vestimento sanguifero, saepe ipso adspectu offendente, sive jam indutus, sive coram aegroto sese induens.

Peto a quocunque medico humane sentienti, ut ipse sese aegroti loco per hoc tempus cogitet.

Jam vero dicam aliquid de re nova atque fere inaudita, vultum dico, quo primum medicus efficax intrantem aegrotum excipit. Qua de re (minime parvi momenti, quamquam non maximi) multum dici possit. Aegrotus intrans, sive territus rebus supra memoratis, sive cogitationibus de sorte sibi instante perturbatus, statim medici, cujus manui sese commisit, quaerit vultum, quasi ex ipsius facie solamen conditioni suae velit su-

gere. Quam rem saepius attento oculo observantem me non fugit tristis expressio, quum medicum aut jocose cum collegis de tempestate, de nuper mortuis, de vestimentis, aliis verba facientem, aut hilariter ipsi arridentem, aut morose cubile ascendere jubentem inveniebat. Bene scire credo, multorum vultus data opera esse eum ad finem compositos, ut aegrotis et adstantibus aut jam solo adspectu reverentiam atque admirationem incutiant; aut ipso vultu, quanta animi aequitate brachium pedemve a reliquo corpore sejuncturi sint, demonstrent. Neque vero regulas hic vultus componendi dare volo, tamen id quidem contendo, nullum horum medicorum rectum tetigisse.

> Nonne manum habuit intrepidam? an non in secando promptus et expeditus fuit aegrosque suos plerumque etiam sexto aut nono die e lecto emisit et per cubiculum deambulare jussit? — Longe plura requiruntur, quae non inter subulcos et similes homines, quibus nulla est cum arte communio, addiscuntur."
>
> F. Hildan. Praef. de Lithotom.

Modum pertractaturi, quo medicus efficere aliquid possit, jam fructum sementis, quam morbos dividentes fecimus, bono animo metiamur. Tria genera morborum, turbatae harmoniae modum respicientes, distinximus, quum aut nimium aut parum aut perversa adesse possit materies. Quid nunc certius est, quam harmoniam restitutum iri nimio sublato, deficiente addito, perverso recte collocato?

Non fugit me, jam antiquis temporibus simile principium dividendi esse institutum, Dionysium quatuor

proposuisse genera, Heisterum duo alia adjecisse: tamen id ipsum pro perfectione distributionis contendit, quod jam tale quid antiquis obversatum est, praesertim quum nostris temporibus omne »Rococo« valde quaesitum esse audiam. Fortasse omnis talis distributio non necessaria est, tamen animo nostro humano nescio quod studium inhaeret unitatis et definitionum.

Primum vero agam de cura morborum, ubi parum adest materiei ideoque harmonia localis perturbatur. Nam equidem, si tale discrimen instituere licet, medicum efficacem tum semper efficacissimum et quasi novum autorem generis humani arbitratus sum, quum suo perductus ingenio ac vi, quae desunt, supplere possit. Exstat quidem non insignis copia morborum, in quibus vere addendo harmoniam restituere nobis liceat: attamen in iis ipsis, quamvis raro occurrunt, praemium quod medici conscientia e cura reportat, servitium quod aegrotus sibi administratum putat a medico, longe summum est omnium, aegrotique animus gratus erga medicum multum saepe superat eorum, quibus vitam servavimus. Neque enim aegroti, praesertim ineruditi, ubi e. g. parte corporis detracta vitam ipsis servavimus, nos servatores vitae, sed potius mutilatores corporis sui saepe agnoscunt; et multo facilius est mori, quam foede deformes vel taedium praesentibus excitantes vivere vitam fere non vitalem, qualem e. g. naso destituti vivunt — qualecunque est in philosophia solamen. Itaque miseros hos maxime dolorificas operationes audacter atque fortiter subire, levissima quaque spe adductos, notum est.

Medicina efficax additoria sive plastica curat, quando aut ab altera corporis aegroti (rhinoplastice, alia) sive

alterius hominis bestiaeve (ceratoplastice. dentium repositio, sanguinis transfusio) parte, quae desunt, mutuo sumit; aut ipsum parum materiei, quod adest, quasi in domicilio plantarum calefactorio, maturat (ulcera) atque ad majorem perfectionis gradum perducit: aut denique, si quae desunt nullo modo restitui possunt, aptis remediis et quae adsunt conservare et quae desunt supplere studet (pedes, oculi, nasus, manus artificiales). Quem finem ut consequamur, et instrumentis acribus et medicamentis et machinis utimur. Neque vero hac in re praetermittendum est, saepe in morborum huc pertinentium cura opus esse cura antecedenti, si dyscrasiae, cujus igne pars erat deleta, nondum omnino exstincta sint vestigia. Interdum ipse, in quo acturi sumus, fundus aliqua eget praeparatione. Saepius antea demimus atque in demti locum aliam partem inserimus (Martinet de la Creuse). Quo in genere curandi, quum sit certe longe gratissimum, ratione ducti nunquam nimis fortes esse possumus (Büng er). Multa vero hic cura secundaria valet.

Harmoniam nimia materie turbatam detracta superflua restituimus. Et quidem partes superfluas organicas simpliciter removemus cultro. In praevalentia nimia quarundam partium aut cultro medicaminibusve nimium demimus, aut coërcendo pristinam formam restituimus, ut compressione pertinaci, chronica (induratio testis, strictura rum quaedam genera). Saepius eo praesertim animus est advertendus, quanam ex causa ortum sit malum, qua sublata illico tolletur effectus: saepius vero ob symptomata urgentia primum effectum, tum causam demere nos oportet. Adnumero hic praesertim humorum excernendorum in cisternis accumulationem concretionemque.

Eodem quoque modo corpora aliena sive aliena facta educimus. (Operatio cataractae, extractio foetus). Sanguinem nimium, uti in inflammatione demimus.

Quum hic ordo demtorius artis nostrae jam per se includat aliquid inhumani quasi atque minime grati, eo magis, ubi possumus, pars ejus destructoria vitanda est, ubi non omnino necessarius ejus usus sit. Destruimus vel demimus partem, quam servare non possumus vel cujus praesentia totius corporis turbatur harmonia (amputatio, operat. aneurysmatum, alia). — Harmoniam materie perverse collocata turbatam restituimus, quum aberrantia rectam in viam reducimus. Et quidem quoniam quatuor praecipue classes distinximus, his ex classibus cura nostra diversam induet faciem. Etenim, ubi sejunctio abnormis, conjungemus; ubi conjunctio, sejungemus; ubi contractio, expandemus; ubi expansio, contrahemus.

Jam vero, uti singula quaedam tangam, quod primum attinet genus recte collocandi, conjunctionem scilicet, cuivis lippo et tonsori notum est, nos et instrumentis et ligamentis variis corporis nostri partes vulneratas continere, contentas ad reunionem perducere posse. Sed quia sejunctiones inveteratae, immo congenitae esse possunt, saepius necesse est, partes conjungendas ante conjunctionem arte vulnerari. Differt quoque e loco partis sejunctae, e systemate, quo pertinet, modus conjungendi. Vulnera facici acubus curamus, pectoris plerumque emplastris, vasōrum solis filamentis (1); ossa sejuncta coaptatione instituta, aptis vinculis continemus, etiamsi Mal-

(1) Neque vero ratione Stillingii, in qua quomodo quis aliquid ingeniosi reperire potuerit, me omnino intelligere non posse profiteor. Suum cuique!

gaigne et hic bono cum successu uncis ferreis usum sese esse, nuper confirmavit.

Dislocatas partes recte iterum collocamus, reducimus, reductas, quum fere semper propensio ad perversum situm ad tempus remaneat, apte retinemus. Ubicunque sive manifesta solutio continui, sive expansio, sive contractio (tenotomia in oss. luxatis reponendis) simul adest, hae simul suo quaeque modo sunt curandae.

Cohaesionum cohors abnormium aut incisione aut compressione curatur. Quod spectat ad incisionem, saepe punctio lanceolae sufficit, uti in quibusdam casibus ani, vaginae, orificii uteri, oris, palpebrarum, narium praeclusarum; interdum amplius est progrediendum, ducibus digitis vel specillo cavo; saepe simul est excidendum, ubi una cum cohaesione nimium adest materiei. Interdum compositis uti debemus agendi modis, ea praesertim de causa, quod partibus semel conjunctis summa inest sese denuo jungendi propensio; obsistentes praeceptis et ligamentis nostris sese quaerunt atque reperiunt; quae praesertim in morbis congenitis pertinacia invenitur (Symblepharon, digiti connati, os connatum).

Compressionis modum, quem hic interdum in usum vocamus, acutum, ut ita dicam, (contrarium chronico in morbis, ubi nimium adest, adhibendo) libenter hinc ejiciam una cum Oesterlenii noto nomine ornato instrumento ceterum ingenioso. Certe in extremis tantum casibus in usum vocanda est haec methodus. Contra expansionem vero postea violenter institutam multa non theoretice composita hic adjicere possim.

In ectasiis contrahimus medicamentis plerumque et machinis; in contractione nimia cultri praepollet usus, etsi saepe postea machinis debet adjuvari. Locus hic tenotomiae, quae in operatione herniarum incarceratarum quasi summum cacumen adscendit. Num talibus in casibus subcutana institui possit, evitantes tum intestinorum cum aëre contactum detrimentosum, alii judicent. Saepe quoque contractionem nimiam sola incisione tollimus, quo sectiones Celso-Dieffenbachianae laterales referendae.

„Potiora enim sunt, quae necessaria; posthac quae utilia, tandem vero decora ac splendida.“
Taliacot. 2. 16. 59.

De adminiculis. quibus utens medicus efficit aliquid, pauca afferre in mente est. Neque vero quisquam hic totam materiam medicam condensatam exspectabit, neque omnes cultros, forcipes, machinas ex ordine enumerata; sed generalia quaedam dare, itaque exprimere conabor, ut quivis reliqua sibi ipse subjungere et tantum indicata explanare valeat.

Fert animus in principio instituere distributionem apparatus nostri bellici. Exstant quidem nobis adminicula ea, quae necessaria sunt atque non necessaria. Non necessaria aut utilia sunt, aut inutilia.

Quum iis non plane assentiar, qui extremam classem omnino delere atque exstinguere conati, neque eorum notitiam poscunt neque eorum applicationem concedere volunt: concedatur mihi, paucis eam jam hic adumbrare, ne postea eam omnino negligens, injustitiae crimen mihi contraham.

Tribus a partibus in quovis instrumento eligendo fieri debere judicium censeo: primum ratione habita medici, tum morbi, denique aegroti (quippe cultris interdum celatis, ne videat ferrum, opus esse potest); neque cui partes primariae concedendae sint, dubitandum est. Nonne vero semper medico ex ipsius arbitrio eligere licet instrumentum? Minime (1).

Medicus pertinax, qui, uti fit interdum, in unius

„quae

(1) „Imberbes didicere, senes perdenda fateri“ — is a hard lesson sometimes to human vanity and what requires some degree of candour to learn. Our ancestors deserve our best thanks for the assistance, which they have given us; where we find them to be right, we are obliged, to embrace their opinions as truths; but implicit faith is not required from man to man; and our reverance for our predecessors must not prevent us from using our own judgments. Ancient and modern our mere sounds and can signify nothing in this case, unless with the former we connect an idea of truth established and confirmed by time and experience and with the latter that of demonstrable improvement upon what has gone before.“
P. Pott Remarks on Fr. and Dislocat.

instrumenti usu perseverat ea tantum de causa, quod ipse vel ipsius magister sibi persuasit, esse optimum, reliquis non tentatis, neque morbi diversam formam neque aegroti desideria respiciens, non semper bene de semet ipso deque aegroto aget. Sane medici ingenium corpusque habilia saepe vincent instrumentorum molem deformem, amputabunt optime cultris mirum in modum formatis: tamen inde, si hunc vel illum artis nostrae coryphaeum tali modo agere videmus, de utilitate instrumenti conclusionem facere nondum licet. Nam

»nil mortalibus arduum est,«

praesertim ambitione quadam ac pertinacia in retinendis vitiis adductis, quare hi illi medici, etiamsi tempus ac collegae de inventis eorum jam dudum judicium tulerint, tamen ab ingenii sui infantibus sese non separant atque usque ad finem vitae tenaces propositi iisdem utuntur.

Multa ejusmodi instrumenta una cum inventoribus (1) tumulus celat, multa vero inventoribus superviventia etiamnunc in libris, tabulis atque clinicorum armamentariis splendent, inspicientisque movent aut risum aut admirationem. Id vero saltem iis inhaeret semperque inhaerebit commodi, ut inde et aberrationes mentis humanae nos doceantur, itaque veri simplicitas eo magis eluceat, et quasi historiam artis in effigie habeamus (nam cujusvis aetatis mens plerumque inventis sese imprimit), et interdum his vel illis, quae ad singulum casum inventa fuere eoque praeterito sepositа sunt, similia similibus in casibus construere sciamus. Ingeniose vero excogitata, licet nunquam vel raro in usum vocari possint, semper magno cum gaudio inspiciemus neque parvum inde fructum capiemus. Praeterea impium esset, artis, quo pervenimus gaudere fastigio neque interdum horis subsecivis mente iterum varias vias itineraque devia perlustrare, quibus eo ascendimus.

Jam eam ob causam quod necessitatis notio inter homines ex diversa ingenii vel corporis conditione valde differt, non audacter ac temerario de instrumenti cujus-

(1) Ingenious, mechanical and whimsical people have often busied themselves in inventing instruments. (de Gräfe, Weiss, Assalini).

dam pretio judicare possumus. Alteri hoc, alteri illud videtur omnino necessarium: alter se instrumento quodam carentem medicum non esse optare dicit: alter lepide irridet collegae sententiam. Mehercle injuste! Nam quod consuetudo ipsi sacrum fecit, quo usus jam inde a tirocinio effecit aliquid, non facile abstinebit ob novum inventum nondum probatum. Est idem atque amicum certum, quem jam inde a teneris unguiculis omnibus a partibus, et virtutibus et vitiis, familiaritate frequentissima cognovisti, ideoque optime cum eo agere scis, subito permutare vel exaequare cum homine novo, cujus nondum vel non satis tibi notus est animus. Quis tum non haesitaret? Minimam rem, quam consuetudo sacravit, aegre perdimus; levis animi esset, instrumentum, quod per diuturnum tempus utile sese nobis ostenderat, extemplo permutare, nisi quidem alius virtutes valde praecellant.

Exstat vero a medici parte inde quoque momentum deligendi, qualia in ipsius armamentario praesto sint instrumenta. Medicus, ut ita dicam, campestris ruralisve sive in parvo oppidulo collocatus, non facile, nisi singulari artis efficacis ardore adductus, magnum armamentarium possideat. Artis nostrae studium, si vere omnia, quae possumus, discere volumus, tantam pecuniam requirit, ut non facile magnam copiam instrumentorum domum portaturi simus nobiscum. Tamen indignum est, si medicus ne iis quidem instrumentis instructus est, quibuscum omni momento praesto esse debemus.

Etiamsi igitur instrumentis auro, argento testudinisque putamine splendentibus, sicuti illis ad operationes raras inventis facile carere atque clinicorum armamentariis ea tradere possumus; tamen quivis instructus sit oportet instrumentis usus quotidiani, ne, usurus, antea undique ea conferre debeat, dum interea aegrotus fortasse animam efflat. Licet negari non possit, e momento auxilii pendere rarissime vitam aegroti, ita ut apto modo tractantibus aliquantulum temporis semper nobis restet restareque debeat, antequam aggrediamur: saepius tamen quaevis pars horae ter millesima sexcentesima interjecta periculum auget. Neque igitur nisi perraro Cunctatoris cognomini in parte artis nostrae efficaci laus inest; aliter

quidem in medicina interna. Dubia prudenter, adversa fortiter!

Jam ea igitur de causa a quoque medico, praesertim vero ab eo, qui longius a domicilio sese confert fortasse in regiones, ubi collegae non exstant (etiamsi tales regiones apud nos jam perraro inveniantur!) postulare licet, ut quaedam instrumenta, quae primam classem in ordine necessariorum explent, semper secum portet, ubicunque est. Neque vero e tali postulatione multum incommodi resultat (etiamsi hoc nos non prohibere debeat); quid enim molestiae parvo armamentario nobiscum portato inest? Videmus a medicis laetissimo animo fere immensas aureas, pretiosis gemmis imaginibusque regiis fulgentes thecas, pulvere sternutatorio ad marginem usque repletas, in marsupio gestatas; videmus baculos longos splendidis globulis ornatos, non levis mehercle ponderis ipsissimis manibus a medicis secum trahi — quasi ejusmodi quid ad dignitatem medicam augendam valeat, — tamen certus sum, paucissimos tantum semper secum portare ea, quibus destituti mortalibus, ubi possent, salutem afferre non valentes, dignitatem artis suamque certissime perdunt.

Neque vero ejusmodi instrumenta multa exstant, sunt vero ea jam ab antiquissimis temporibus frequenti usi plerumque comprobata (cf. Fabric. Hildanum in fine operis sui). Quae instrumenta ita optime perfici possunt, ut in marsupiolo satis loci habeant, praesertim si eidem manubrio plures adjungantur.

> Persicos odi, puer, apparatus;
> Simplici myrto nihil adlabores
> Sedulus curo.

In methodo, quam in efficiendo adhibere volumus, magnus latusque campus ingenio cuivis datus est novi inveniendi, neque ullus fere exstat nominis cujusdam medicus efficax, quin nomini suo — si non jam instrumento aliquo praeclaro — nova cujuslibet operationis mutatione, quantulacunque est, immortalitatis palmam vin-

dicaverit vel certe vindicare conatus sit. Cujus studii, etsi interdum salutiferi, limites paucis exponam.

Quae in usu sunt, ideo quod in usu sunt, certo non sacrosancta existunt; sed si omnino voluntati nostrae sufficiunt, cur multis variationibus idem thema percantes? Cur pro certis incerta, pro probatis probanda ponas?

Multo plus opprobrii inest experimentatoribus istis pseudo-efficacibus, quamquam genus fere emortuum est. Profecto minime intelligo hoc verbo eos, qui aliquid tribuunt parvis modulationibus viae tritae, quae nullius momenti sunt (hobby-horses!), sicuti num uno tractu agant, an per duos; neque illos intelligo, qui ratione ducti alias methodos, quarum utilitas vel futilitas sine damno aegroti probari potest, ingrediuntur: verum istos hic notatos volo, qui quamvis aliis rebus celebritatis quendam gradum nacti, jus habere opinantur experimentorum »en gros« instituendorum, ita ut aegroti vitam libenter in discrimen vocent, si sententiam suam vel methodum novam comprobare debeant.

Multa adhuc addenda sunt, de cura scilicet secundaria, de historia medicinae efficacis, aliis. Tamen, quum hisce de rebus Iliadem post Homerum conscribere nolim, ad ea, quae Dieffenbachius nobis nuper hac de re prodidit, delego.

VITA.

Natus sum Reinoldus Loewenhardt Soldini, oppidulo Neomarchico d. VI. mensis Augusti, anno hujus saeculi vicesimo quarto, patre dilectissimo Eduardo, medico Primislaviensi, matre carissima Theresia e gente Meyer, quos hucusque vivos salvosque veneror. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in progymnasio imbutus, gymnasium frequentavi Primislaviense, quod etiamnunc Directore Paalzow floret. Maturitatis tum testimonio instructus, anno h. s. quadragesimo primo inter cives Instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum, quod vero ob valetudinem malam mox relinquere coactus sum. Deinde Bonnam me contuli, ubi ab Ill. Naumann, tum fasces tenente, inter cives academicos, ab Ill. Mayer, t. t. Decano spectatissimo, inter medicinae studiosos receptus, per tria semestria moratus sum. Postea iterum Berolinum discessi et ab

Ill. Hecker, t. t. Rectore magnifico, civibus academicis adscriptus, apud Ill. Wagner, gratiosi medicorum ordinis t. t. Decanum spectatissimum, nomen rite professus sum.

Scholis interfui hisce:

Berolini: Cel. Beneke de logice et phychologia; Cel. Turte de physice; Ill. Link de botanice, historia naturali, cryptogamis, toxicologia; Ill. Mitscherlich de chemia organica et anorganica; Cel. Preuss de historia Frider. Magni; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris, pathologia generali, medicinae historia; Ill. Schlemm de osteologia, splanchnologia, syndesmologia, anatomia organorum sensuum; Ill. Müller de anatomia speciali et organorum sensuum, de anatomia comparata, de physiologia et physiologia generationis; Cel. Eck de physiologia et pathologia generali; Ill. Wagner de politia medica, de medicina forensi tam theoretica quam practica; Exp. Boehm de diagnostice chirurgica.

Bonnae: Ill. Nasse de therapia generali, de morbis animi, de therapia speciali, de legibus vitae organicae; Ill. Wutzer de anatomia chirurgica, de arte fascias applicandi, de instrumentis chirurgicis; Ill. Kilian de arte obstetricia, de instrumentis obstetriciis, de morbis infantum; Cel. Albers de therapia speciali et anatomia pathologica; Ill. Arndt de Taciti Germania.

Practicis me exercitationibus instituerunt: Ill. Müller et Ill. Schlemm in arte cadavera rite secandi; Exp. Angelstein operationibus ophthalmicis; Ill. Wutzer, Trüstedt, Dieffenbach, hi operationibus in vivis, ille in vivis et mortuis instituendis; Ill. Kilian exercitationibus obstetriciis in phantomate. In clinicis moderatores mihi fuerunt Ill. Nasse, Wagner, Wutzer, Jüngken, Dieffenbach, Trüstedt, Kilian.

Quibus viris omnibus gratias quam possum maximas ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medicis, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine absolutis, spero fore, ut dissertatione et thesibus publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Medicus naturae et minister et magister.
2. Nascuntur in scrophulosis oxyurides, sicuti in aceto vibrillae.
3. Medicina forensis pars est artis nostrae maxime necessaria omnium.
4. De rebus medicis tantum penes medicos esse debet judicium primarium.
5. Ὁμοιοπάθεια μικρὰ μανία.
6. Ars obstetricia efficacissima pars artis nostrae est; sequitur tum circa efficaciam ophthalmiatrice.